

summis, et infinis uti valemus, quibus summa infimis præponenda videmus, quibus cæteras veluti quodam lumine creaturas præcedimus. De lumine isto Dominus in Evangelio dicit: *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint* (Luc. II, 35). Lumen quippe tuum quo animantia irrationalia præcellis tunc utique tenebræ fit, cum infirma summis amore præponis. Cum enim virtutes abjicis, non possunt bene fieri quæ sine virtutibus agis. Has sane virtutes intelligi lucernas ardentis voluit qui dicit: *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentis in manibus vestris* (Luc. XII, 35). Lumbos præcingit qui luxuriam carnis castitatis cingulo, reprimit. Lucernas ardentis est in manibus tenere, habere virtutes in operatione, quas cum operando tenemus, bene per omnia de imis omnibus operamur. Nemo enim castitate mæchatur, nemo veritate mentitur, nemo iustitia fraudatur, et sic de cæteris. Cum itaque virtutibus omnia peragis, tunc ab imis per media libero cursu conscendis, sicque in omni tua actione veneranda Trinitatis auspicia mundi cordis oculis repræsentas. Profers in imis ex multitudine numerum, in mediis rationalis intelligentia mensurat iudicium, in summis

A superna veritas pondere proprio trahit omnia secum. Felix operatio, quæ tali procedit ordine, quæ coram piis oculis insignita refulget Trinitate. Angelorum concivit, Domino similis, homo licet terrenus jam vere procedit, cuius actio tam corporea quam spiritualis præsentis honore virtutis in odorem suavissimum ad cæli summa conscendit. Videat ergo discretio tua, ut cum virtutibus semper agat. Si enim absque virtutibus quælibet ima tractaveris, sine dubio mox peccabis, mox actio tua Trinitatis decore carebit, tuaque ratio et intelligentia a lumine in tenebras mersa, non erit media, nec ima tantum, sed magis infima. Non quod mala sint ea quæ diximus ima et media; fecit enim Deus omnia, bonus bona; sed cum absque virtutibus ima quælibet dispensamus, mediis abutendo peccamus; et tunc mala dicimus ima, quia male disposita. Media vero pessima non solum imis, sed et seipsis male utentia. In his et aliis præmissis hunc certum suscipe finem, ut cuius tenes imaginem fideliter teneas Trinitatem, in omnibus ejusdem signa requiras, quæ sita cognoscas, cognita diligas. Ima simul omnia recte per media semper ad summa referendo quiescas per sæcula sæculorum. Amen

HUGONIS

ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS

TRACTATUS IN HEXAMERON

(Fragmentum. — Edidit MARTEN. *Thes. Anecd.* t. V, col. 1001, ex ms. Rothom. domini Grebovaldi.)

Viro erudito ARNULFO Lexoviensi episcopo filio suo charissimo, Hugo Rothomagensis sacerdos spiritum sapientiæ, lumen doctrinæ.

Librum principii seu creationis rerum, Deo anuente, suscipimus intuendum. Hanc sane cosmographiam Moyses edidit magnus ille famulus Domini, qui primus a Deo virgam virtutis accepit, qua mirabilia fecit, et Ecclesiam Dei præsulatu magnifico gubernavit. Liber ejus sacrorum origo voluminum cælestia continet et terrena, leges et mandata divina, præmia justorum, supplicia peccatorum, et super omnia Deum omnipotentem tam de malis quam de bonis semper bene operantem. Auctor iste plana et aperta promit eloquia, sed altitudine sensuum profundissima, quæ sola sancti Spiritus aperit gratia. Ea certe spiritu quo scripta sunt et reservari queunt, mundana nesciunt, scrutari sapientia, quæ non ratio capit humana. Igitur invocato Spiritu sancto, ea videamus quo inspirante sententiam veritatis prout voluerit afferamus. Veritatis verba sunt ista vero Spiritu edita: verax est qui ea scripsit et vera sensit in eis. Ex eis omnibus veris poterimus ea sola nosse, ea nota dicere, quæ dabit et nobis qui dedit Moysi nosse quæ voluit, nec tamen omnia Moyses novit in eis, quæ novit in eis Spiritus san-

C ctus ipsum qui docuit. Igitur ad Spiritum sanctum referimus quæ super his ex ipso dicimus, sine quo nec ille potuit, nec nos dicere possumus. In his superbia cæca remanet, in his humilitas luminosa videt. Ibi elephans periculose natat, ibi agnus secure ambulat. Ibi caput elephantis demergitur, ibi pes agni supergreditur. In his ergo et in omnibus superilluminet nostros sensus doctor ille summus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, Jesus Christus, de quo in Apocalypsi legitur: *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David accipere librum et solvere septem signacula ejus* (Apoc. v, 5). His septem signaculis liber iste Genesios diebus septem primariis signatus exstitit in opere septiformi sub septem donis Spiritus sancti. De his septem diebus septemque sigillis et sancti Spiritus septem donis in secundo dialogi nostri libro egisse me recolo. Nunc autem in hoc opusculo nostro magis historiam requirendo tractamus, quam sensus allegorico seu morales attingamus. Proinde librum istum ad eum usque locum percurramus, quo nostrum primus a paradiso depositus vallem lacrymarum intravit, culpis implicitus, pœnis addictus. Lege, fili, legat qui voluerit ista, sed conditione data, ut omnia falsa falso mihi, omnia vera Spiritui veritatis

habeantim putari; mihi pro correctione, illi pro A essentialiter unus cum Patre et Filio Deus in æter- gratiarum actione, qui ex Patre Filioque procedens num et ultra vivit et regnat.

LIBER PRIMUS.

1. *In principio creavit Deus cælum et terram.* Scriptura ista celebris atque notissima toto orbedifunditur, omni lingua prædicatur: veritate qua præeminet cunctis sese præbet. Qualis accesseris, talem tibi et ipsam invenis. Dulci affatu parvulos nutrit, pio dogmate modestos reficit, altitudine superbos ridet, profunditate studiosos terret, de omnibus agit, Deum ostendit.

2. *In principio creavit Deus.* Ante principium creationis rerum si aliquid forte quæsieris, penitus invenire non poteris. Sola æternitas præcedit omnia, solus Deus universa, quorum motus egerit tempora, quorum partes efficiunt loca. Mutatio creaturæ probat eam initium habuisse. Quam cito vides rerum creationem, mox invenis Deum creatorem. Qui creat creandis est ipse principium, vel creando facit esse principium, itaque de nihilo per ipsum fieri simul incipiunt. Cum itaque dicis esse principium, debes nosse quia Deus præcedit omnia, non quidem tempore, sed æternitate. Cum vero dicis, Deo creante, simul omnia principium habuisse, intransitive pensa principium rei et rem principii, creatum esse quod inceptum est, incepisse quod creatum est. Pro tanto igitur principio creationis, seu pro tanta creatione principii apud Hebræos scriptura ista titulum non accepit, quia tam universali principio præponi aliquid indignum fuit, a tanto tamen principio quod habuit apud nos principii nomen assumpsit.

3. *In principio creavit Deus.* Pensa qui legis, pensa auctorem operis, opus auctoris, modum operis, inventionem auctoris. Præsentis igitur operis auctorem sanctum illum agnosce Moysen, qui a fide et genere descendit Abrahæ, susceptus ab aqua, præsignans mysteria, nutritus in aula regia, adoptatus a regis filia. Sentis aulam regiam Christi Ecclesiam et regis filiam divinam gratiam. Iste fratrem oppressum liberavit, inimicum perdidit, Ægypti delicias sprexit, in solitudine annis quadraginta Domino vacavit. Ibi sine incendio ardente in rubo apparente Domino mandata suscepit: inde signis et prodigiis magos et incredulos afflixit, pascha celebravit, populum Dei agni sanguine protexit, quem in columna nubis et ignis eduxit, mare divisit, Ægyptios perdidit. Legem digito Dei scriptam in eremo accepit, de cælo manna, de petra flumina populo ministravit, quem ad terram promissionis possidendam præparavit. Tantus iste, glorificata facie, loquebatur cum Domino sicut amicus cum amico: unde merito potuit ipse homo loqui de eo quod erat antequam esset homo, non ex humana sapientia, sed docente Spiritu sancto.

4. *In principio creavit Deus cælum et terram.* Ecce

quod non vidit homo, nobis loquitur homo, propheta de præterito. Idem ipse quam multa sacramenta scribendo tradidit, servanda mandavit propheta de præsentis. Ea qui legit, qui tenuit, non intellexit, nisi per eum qui clavem scientiæ gerit. Hic etiam propheta de futuro claruit, unde ait: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audiveritis* (Act. vii, 37). Dominus attestatur ei: *Si crederetis, inquit, Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit* (Joan. v, 46). Scienda est etiam materia operis, quam tantus propheta Domini, tam præcellens dux Israeliticæ gentis assumpsit, ut scire valeas de quo agit.

5. Materia itaque operis hujus est equidem creator Deus et creatura ejus.

6. Modus in hoc opere restat intuendus, ut agnoscas quæ ibi intimantur æterna, quæ temporalia, quæ primordialia, quæ subsequencia.

7. Attendit aliquando Deum et in Deo omnia in mente divina ut in arte ipsa. Ibi omnia sunt æterna fixa, immutabilia. Attendit aliquando facta ea ipsa simul in præjacenti materia, confusa, indivisa, invisibilia. Attendit aliquando ea ipsa simul in principio formata, distincta, perspicua, singula cum proprietate sua. Et ex his primordialibus cætera omnia actualiter, temporaliter, consequenter egredientia, nutum Dei nunquam et nusquam transgredientia. Legendo invenies et hæc et plura quæ modi solet habere varietas.

8. In his æque omnibus auctoris intentio perquiratur, quo fructus et utilitas auctoris et operis agniti facile capiatur. Quia igitur ex uno referuntur esse omnia simul et singula, æque referantur ad unum omnia simul et singula, ut rationalis creatura eum qui singulariter unus est, in omnibus quærat, nec se, nec in aliis amando remaneat; sed a conditis ad ipsum qui condidit sese tota dilectione reserat. Hi ita stricte et modice perquisitis audiamus.

9. *In principio creavit Deus cælum et terram.* Ex nullis existentibus ea creavit quæ in principio fecit. Si enim alia prius fecisset, non ista in principio, sed post principium edidisset. Creavit in principio non quod erat, sed omnino quod non erat. Primordialium materiam quæris, nullam præjacentem invenis. Solus Deus est qui ea facit, de nihilo non de aliquo creans quæ voluit. Mira celeritas operis. Non ibi mora temporis, non exercitium laboris, non disciplina studii, sed potestas voluntatis et voluntas potestatis incipiendo creavit, creando incepit. Operatum potius quam operantem esse dignoscimus, quem in principio fecisse potius quam incepisse sentimus. Dixit enim et facta sunt mandavit et creata sunt.

10. *In principio creavit Deus cælum et terram.* Fuerunt homines suis opinionibus sua sensa probantes, tria esse coæterna dicentes. Deum scilicet, atque materiam, et formas omnes. Deum non creatorem sed opificem æstimantes, qui materiam et formas minime creasset, sed conjungere nosset, sed simul aptare potuisset. Dicebant aliquid posse fieri de aliquo, non aliquid de nihilo. Solus quidem Deus potest indifferenter de nihilo facere sicut et de aliquo. Nulla vero creatura potest aliquid de nihilo creare vel facere, licet possit de creatis agere, pro data sibi a Domino facultate. Secundum hoc præfati homines de Deo tanquam de se judicantes sicut se posse noverant, sic Deum posse tantum penitus æstimabant, hoc est aliquid facere de aliquo, nihil de nihilo. Sed res ipsæ mutabiles, si eas agnoscendo consideres, eorum manifeste destruunt errores. Omne namque mutabile necesse est de nihilo factum esse. Probat hoc mutabilitas quam divina nescit æternitas. Quod enim vere æternum est, nec natura, nec actu mutabile est. Semper enim id ipsum est, non aliquando, non alicubi aliter est. Mutabile vero non semper est : unde quantumcunque protrahas, de nihilo processisse necesse est. Si enim de nihilo minime provenisset, hoc est absque initio permansisset, æternum utique foret, et immutabile permaneret. Quidquid ergo mutatur de nihilo fuisse probetur; sed res mutabilis seipsam facere, vel per se subsistere minime potuit. Factorem ergo necesse est habeat per quem fiat, per quem facta servetur ut maneat, ne de nihilo facta in nihilum redeat.

11. Quæris de factore qui semper est, qui mutabilia facit et immotus est, quid ante agebat quam faceret ea, unde ei in mentem venit ut subito faceret quod non semper facit? Sed scire te convenit quia *antè* vel *subito*, quæ præponis, signa sunt temporis; Deus vero rei et rerum tempora facit, ea ipsa non tempore sed æternitate præcedit. Res equidem si nulla esset, nec motus rerum esse potuisset: si motus rerum nullus esset, nec tempus utique fuisset. Tempus namque terminatum esse dicitur intervallum mutationis rerum. Non est ergo subditus tempori qui tempora fecit, sed omnia æternitate præcedit. Quæcunque igitur sunt mutabilia nulla Deo sunt coæterna, sed a Deo condita, sed initium de nihilo simul habentia. Esse habent, quia facta a Deo; sunt mutabilia, quia facta de nihilo. Providens igitur Propheta sanctus, dux veritatis, dux super Israel excelsus, quosdam vaniloquos vel suo tempore jam exortos, seu postea futuros, de Deo et ejus operibus hæretica sensisse repertos, primo capitulo tales obstruit, dicens: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Audis initium rerum, audis creatorem Deum, audis materiam conditorum. Cælum enim et terra quibus conserta sunt aer et aqua, dicuntur quatuor elementa, ex quibus ut ex materia fiunt quæque corporea, non ea Deus sibi coæterna invenit, sed eis est principium ut

A esse possint, vel in principio creavit, ut inciperent fieri.

12. *Creavit Deus.* Opponis et dicis quia Deus est immutabilis, immutabiliter agit. Semper ergo creat, si creavit, sed non semper creat. Igitur non creavit. Nosse debes, quia sic obtendis, quoniam quidquid de Deo secundum Deum potest dici, non more nostro, sed suo quo Deus debet intelligi, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Nihil est in Deo novum, sed semper id ipsum. Vox ergo illa *creavit* nihil in Deo ponit, sed Deum significans aliquid ponit in eo quod creavit. Vox ista *creavit* rem creatam ponendo innuit. Verba nostra et quælibet vocalia, ad indicandum eum qui summe et vere est præsumpta, non actionem vel passionem, non quamlibet varietatem ponunt in ipsam Deitatem. Hac de causa prudenter agnoscas, quia verba et quæcunque vocalia ad significandum Deum assumpta, jam non sunt de octo partibus illis quas ponunt grammatici, sed significant ritu divino, non more grammatico, non rhetorico, non dialectico. Deus enim semper est id quod est? qui determinari, seu describi, vel diffiniri non potest, quia incomprehensibilis est. Quæ vero facta sunt deprehensa tenentur; unde terminata, seu descripta, vel diffinita proponuntur. Factum omne incipit esse quod est, nec tamen habet ex se illud quod est, sed ex seipso et per ipsum et in ipso qui vita, æternitas, beatitudo essentialiter est. Inde per Moysem scriptum est *creavit Deus.*

13. Pro hac voce quam dicimus, *Deus*, in Hebræo *Eloym* scribitur. *Eloym* vero apud Hebræos vox est pluralis, sed idioma linguæ Latinæ hoc transferre non potuit. Sic enim est apud Hebræos *Bara Eloym*, ut si verbum ex verbo transferas latino sermone contra morem oporteat dici *creavit dii*. Unde sciendum est quia vox illa *Eloym* Deum significans enuntiatione plurali, non tamen plures deos ponere potuit, quod determinat apud Hebræos vox adjecta singularis, id est *Bara*, quod est apud Latinos *creavit*. Hunc sermonem Hebraicum Catholicis nostri recte sic positum pie defendunt, qui Trinitatem quæ Deus est in unitate simplici prædicant adorari, quam repræsentat eis vox singularis adjecta plurali, id est *Bara Eloym*.

14. *Cælum et terram.* Non quia sic dicerentur quando creata sunt, sed quia postmodum eadem ipsa a colloquentibus sic nominata sunt. Deum quoque et ea quæ in principio vel facta vel dicta sunt his vocibus assignari oportuit, quibus consuetudo nostra ea significando proponit.

15. *Cælum et terram* hic dicit quia provide Scriptura dixit creata cælum et terram, aerem vero et aquas non fuisse creatas tacendo innuit, ubi omnium creatorum seriem diligenter exquirat. Scias itaque, scias, filii morem sacri eloquii: solet namque cæli et terræ nomine cuncta simul creata colligere. Testatur hoc Psalmista qui de coele et de terra ad laudem Creatoris creaturam universam provo-

cat, primo de cœlis ita dicens: *Laudate Dominum de cœlis, laudate cum in excelsis. Laudent eum omnes angeli ejus, vel eum omnes virtutes ejus. Laudent eum sol et luna, laudent eum omnes stellæ et lumen. Laudent eum cœli cœlorum et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini* (Psal. cXLVIII, 1-4). Nota angelos et virtutes et aquas superiores et cætera cohabitatione et concreatione cœlis deputari et cœlorum nomine designari. De quibus omnibus illico subjungit: *Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (Psal. cxcviii, 5). Subjecit etiam et de terra et ait: *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (Psal. cXLVIII, 7, 8). Sicut enim omnia creat, sic omnia movet et ordinat. Quæcumque igitur Moyses per cœlum et terram intelligenda conclusit, hæc eadem Psalmista distinguendo numeravit. Contineri sane inter cœlum et terram cum aquis aerem cernimus, et ex his duobus subtiliora cœlis corpulentiora terris deputata novimus, qui præfatam distinctionem Psalmistæ legimus. Tu denique aerem et aquas confitere creatas, et cum propheta pie Domino decanta: *Aquilonem et mare tu creasti* (Psal. lxxxviii, 13). Et alibi: *Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud* (Psal. xciv, 5). Per aquilonem intellige ventos, qui fiunt in aere commoto pro nutu divino: unde Psalmista: *Qui producit ventos de thesauris suis* (Psal. cxxxiv, 7). Sed ne ultra dubitare possis, *Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 3). Et ut scias qualiter ea fecerit, *omnia, inquit, in sapientia fecisti* (Psal. ciii, 24). Nunc vero scito Psalmistam ad laudem Dei provocare creaturam, primo de cœlis et cum cœlis assignatam consequenter et de terra distinctis nominibus ascitam. Moyses autem non ea distincta sed materialiter simul facta cœlestia et terrestria in principio nomine cœli et terræ proclamata, quæ postea senaria distinctione formata declarat, non quia forma sine substantia, vel substantia sine forma unquam aut usquam existere queat, sed confundit eos qui substantiam et formas, Deo opifice, dixere connexas, non a Deo creatas. Hæc et hujusmodi delirant hæretici, qui sacras Scripturas nesciunt, qui sancto Spiritui contradicunt. Sed scriba veritatis, quem Deus ipse de rerum creatione perdocuit, tam substantias quam earum formas a Deo conditas et conjunctas novit et docuit. *Creavit, inquit, cœlum et terram*. De cœlo quia ignis in eo præeminet, quo pulchrius elucescit et clarificat cætera, ita dimittit. De reliquis ab igne clarificatis ut videri possint, terra scilicet, aere et aquis, pro eorum informitate quam sine ignis illustratione probantur habere, sic dicit:

16. *Terra autem erat inanis et vacua*. Terra substantialiter inspecta inanis erat, non quia sic in actu existeret, sed quia sic considerari potest. Quis enim ignorat naturaliter esse diversa substantiam et formas? quæ licet separata non inveniuntur, ra-

tionis tamen intuitu in eodem diversa naturaliter attenduntur. Sicut de terra dicimus, sic de cœlo, de aere, de aqua perspicimus, dum ea solum pro substantia, non pro forma pensamus sine his quæ dicuntur qualitas, quantitas, ad aliquid, situm esso, habere, agere, pati quando, ubi. Hoc quaecumque potius habet cogitari quam præsentari. Inanis et vacua dicitur terra, non quia est; sed quia informis et invisibilis, nec habens quæ germinat, vel quæ producit. Inanis enim et vacua non ponendo significant, sed removendo nominant. Mens equidem sana sæpius attendit quid et de quo habeat fieri, prius id unde aliquid fit, postremo hoc quod inde fit. Primo informem materiam, deinde formatam. Præcedit illa quadam origine, non tamen corpore. In illa materialiter factum est quidquid de ea actualiter fieri potest, sicut in cera molli causaliter latet quidquid de ea exclusoris industria facere prævalet. Quisquis ille est qui hoc omnino inane potest absque formarum imagine utcunque sentire, sentit aliquid, pene nihil, sed materiale unde possit procedere quidquid est actuale. Hoc si tamen dici potest, hæc ubi omnia confusa, cæca, insensibilia, quidam dixerunt chaos, vocaverunt ylen, molem scilicet indigestam, rudemque materiam. *Inanis, inquit, et vacua*, non quin in principio sic facta fuerit, sed quia sic enarrari debuit, ut materiam et formam, licet simul aspicias, discreta cognoscas, vacua formis, herbis, arboribus, animantibus et mortalibus omnibus.

17. *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Aer quoque sicut terra inspectus pro substantia abstractim sine forma dum sine lumine pensatur abyssus tenebrosa vocatur, non solum in se, sed in reliquis, terra scilicet et aquis, quæ nisi aere illustrato pariter obscurantur. Tenebrosam itaque abyssum dicimus velut omnia indiscreta, invisibilia, in informi materia, ubi si aliquid quæras, pene nihil invenias. Nihil dico compositum, nihil conspicuum. Vel *tenebræ erant super faciem abyssi*, hoc est erat obscurius quam sit aliqua abyssus. Vide quia tenebræ nihil nominant, sed lucem abesse designant. Hoc est nihil vidi, nihil pro specie deprehendi.

18. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Hic etiam intelligimus aquas nondum istas visibiles nobisque notissimas; sed fluida quæque et incomposita, informia et formabilia, Deo auctore, de nihilo progredientia, mutabilitatis elogio colligata. Inde est quod accidentalium vicissitudinem patiuntur, quod contingentium vicissitudine labuntur, sed eorum deliquia, licet infinita, conditoris tenet omnipotentia, cujus et Spiritus et formanda creat, et creata format, et formata dispensat. Sunt igitur ea quæ rerum dicimus elementa et ex eis quæque formata simul omnia divinæ voluntati subdita. Et bene per aquam designat corporalem materiam, informem atque formabilem, quia ex humida natura videmus coalescere, augmentari, concreescere, formari omnia in terra per species varias. *Superferebatur Spiritus*

Dei. Superferri dictus est non loco sed potentia superante et præcellente universa. Non enim per indigentiam, sed per charitatem super eminentem creavit Deus omnia, qui sicut voluit, sic creavit et creata gubernare non desinit. *Spiritus Domini.* Vide quia non dixit cælum Dei, terram Dei, abyssum vel aquas Dei; sed dixit *Spiritus Dei superferebatur.* Noli ergo sentire Spiritum Dei creaturam esse, sed

A Spiritum Dei Deum intellige. In exordio itaque creationis cæli et terræ, quibus duobus colligitur universitas creaturæ visibilis et corporeæ creatoris Trinitatis cooperata monstratur, adoranda proponitur, cum dicitur: *In principio creavit Deus.* In Dei nomine Patrem, et in principii nomine Filium, Spiritum vero. . . *Reliqua desiderantur.*

HUGONIS

ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI

CONTRA HÆRETICOS SUI TEMPORIS

SIVE

DE ECCLESIA ET EJUS MINISTRIS

LIBRI TRES

(Opp. Guiberti Novigentini, Append., p. 690.)

HUGONIS EPISTOLA AD ALBERICUM

OSTIENSEM EPISCOPUM.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio ALBERICO Ostiensi episcopo, quamsæpe sedis apostolicæ legato, peccator Hugo Rothomagensis utcunque sacerdos.

Reverende Pater, tuis obedire mandatis pro tempore distuli, non tamen illud omisi, sed præstare tibi veniam, cui soles præstare gratiam. Digna sedet mihi memoria reminisci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum, civitate Nannetensi meruimus assistere tibi. Ibi sanctorum corpora martyrum Donatiani et Rogatiani fratrum, multo cœtu præsentem fidelium, suscepta præsentasti, præsentata relocasti cum digno honore et gratiarum

B actione. Ibi tecum aspeximus cometem præcipiti lapsu in occiduo ruentem, ruinam hæresis, quæ in Armorico tunc scatebat, te protestante signantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica stare non poterat. Eorum hæresiarches pertimuit, nec apparere præsumpsit. Proinde placuit tibi super hæresibus insurgentibus nos aliqua scribere, quod et suscepimus tuæ jussionis auctoritate; sed succincto opere, sed brevi characterere. Trahatuv itaque ex arcto commate clausa latissima, sumantur ex vase modico fercula copiosa, more catholico in Spiritu sancto.

HUGONIS PRÆFATIO.

Mandat Dominus, obediat servus, Patres præcipiunt, fratres expetunt, filii requirunt, charitatis imperio simul et singulariter injungunt, ut contra hæreticos emergentes novos, contra eorum hæreses

D non novas sed veteres tandem aliquando consurgamus, sinceram catholicæ fidei puritatem, et eis opponamus, et contra eos, assistente Domino, defendamus. Loquatur igitur per nos et pro nobis omni-